



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrорvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuißimiè explicantur

Gavanti, Bartolommeo

Antverpiæ, 1634

De his quæ addenda sunt in Missa, quæ celebratur ad Altare, in quo expositum est sanctissimum Sacramentum. XIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40262

imaginarium Defuncti, quod vallari contingit in Sacerdotibus, & alijs: nam Sacerdotis caput versus Altare esse debet, aliorum verò pedes versus Altare, ut dicitur in *Rituali Romano*, de *Exequijs*. Sed Celebrans debet esse semper inter Altare & tumulum, seu lecticam mortuorum, absente corpore; Subdiaconus contra Altare, ad pedes lecticæ, seu tumuli: præsente vero corpore seruatur Rituale citatum.

n Aliquantum versus cornu Epistola.] Nete erga directe vertat Altari, & vt orans Sacerdos vicinior sit Altari.

o Iunctis manibus dicit.] Extra Missam dicuntur semper Orationes manibus iunctis: ille namque ritus est Missarum proprius, extendendi scilicet manus, ut supra diximus, initio Missæ. Oratio vero Absolue com-

muniter dicitur; unde & Absolutio vocatur: sed potest etiam dici *Oratio Missæ*, ut in *Rituali Romano* præscribitur. quod conuenit præsertim in die Commemorationis omnium Defunctorum, & quando fiunt exequiæ Prelatorum. *Marcellus* tamen in suo *Cerimon. Papali lib. 2. cap. 35.* constanter habet in Absolutione Prelatorum Orationem *Absolue*: quod mihi magis placet, addito dignitatis titulo, quam habebat Defunctus, nomine eiusdem.

Dum fit Absolutio, si eleuetur Sacramentum in aliquo Altari, neque Celebrans, neque Ministri debent genuflectere, ne sacra interrumpatur actio: & rectius fieret, si in ea eleuatione pulsatio campanulæ omittentur à ministro.

5 Deinde Celebrans faciens Crucem manu dextra super tumulum, dicit:
Requiem eternam, &c.

Et reliqua, ut in Missali. Cantores dicunt, *Reqiescant*; licet pro uno fiat Absolutio. & præcedene Cruce reditur in Sacristiam.

De his quæ addenda sunt in Missa, quæ celebatur ad Altare, in quo expositum est sanctissimum Sacramentum. XIV.

¹ **D**esideratur hic titulus in Rubricis Missalibus à multis; de quo hoc loco, ne desideretur amplius in hisce Commentarijs: sed in *Cerim. Episc. lib. 1. cap. 12.* optimè monemur ex antiquorum documentis, ut abstineamus à Missa celebranda coram Sacramento, etiam in suo Tabernaculo occluso. Quod si ferat necessitas, vel suadeat alia iusta causa, puta, infra Octauam Corporis Christi, & Romæ in fine Publicæ Orationis 40. Hora-

rum; eo casu genuflexiones omnes, & actus reverentiales debiti diligenter sunt obseruandi: quos varijs in libris Ritualibus præscriptos, & sparsim, hoc loco collegimus.

² In primis igitur illud est norandum, quod pro exponendo Sacramento in Altari pro initio 40. Horarum, vel spiritualium exercitationum, cantari debet Missa Votua de Sacramento, quæ habetur circa finem Missalis, non autem festiva Corporis Christi

A 2 Christi

Christi (nisi infra Octauam eiusdem Festi casus accideret) & tempore Paschali addendum erit *Alleluia*, ut sit in alijs Votiuis Missis.

3 Dicitur vna tantum Oratio, cum *Gloria*, *Credo*, & Praefatione de Nativitate, quia solet esse publica causa: non autem priuatis Missis haec conueniunt.

4 Si verò accidat in Festo primæ vel secundæ classis, sive in Dominica priuilegiata primæ vel secundæ classis, tunc in Collegiatis, vel duæ cantentur Missæ, altera de Festo, seu Dominica post Tertiam, altera Votua de Sacramento post Nonam, vel vna cantetur de die cum commemoratione sanctissimi Sacramenti; quod Romæ fit in Cappella Papa in prima Dominica Aduentus, & in alijs diebus Festis solemnibus in Ecclesijs maioribus Vrbis.

5 In ingressu Celebrantis & Ministrorum ad Altare, in quo patet Sacramentum, omnes debent genuflectere in plano Cappellæ utroque genu. Facta verò confessione, ascendunt ad Altare, ubi deinceps genuflectunt unico genu, ut expeditiores sint; & Celebrans dicit, *Oramus te Domine*, ut alijs.

6 Incensatio Altaris fit de more stante Sacerdote, dum benedicit incensum; quod item de more benedicitur, ex *Cerimon. Episcop. lib. 1. cap. 23.*, quia Altare & Celebrans etiam thurificari debent. Pro Cruce, quæ adesse non debet, incensatur Sacramentum à Celebrante super altorem Altaris gradum cum Ministris genuflexo. Neque Diaconus osculari quidquam debet in hac Missa, quod tradi debeat Celebranti; neque manus item Celebrantis in traditione rerum, ob apertam præsentiam sanctissimi Sacramenti:

quod expressè dicitur in *Cerimonial. Episcop. lib. 27. cap. 33.* *Absque osculo*, inquit, *cochlearis, & manus*: quidquid contrà scriperit recentior. Inclinat autem Celebrans genuflexus caput suum profundè, ante & post incensationem Sacramenti.

7 Cum incensandus est Celebrans, reddito Thuribulo in cornu Epistola, ut moris est, descendit, & sistit se apud idem cornu, facie versa ad populum, aduertens, ne, dum mouet se, terga vertat Sacramento, & ibi à Diacono econtrâ stante in plano Cappellæ incensatur. quod erit quoque obseruandum in altera incensatione ad Offertorium, & ibidem lauabit manus. Eadem enim est ratio excedi extra Altare, tam pro incensatione quam pro ablutione manuum Celebrantis: & utrumque seruatur in Urbe.

8 Accedens ad medium Altaris, & recedens à medio, vel transiens ante medium toties quoties, semper genuflectit Celebrans unico genu: quod & Ministri obseruant.

9 Conuertens se ad populum dicatus, *Dominus vobiscum*, seu alia facta genuflexione post osculum Altaris, sistit se renibus versis ad Euangelij cornu; tum facta iterum genuflexione in medio, redit ad librum, seu Altare.

10 Diaconus & Subdiaconus non omittunt tamen osculum manus Celebrantis in fine Epistolæ, & ante Euangelium, quod alias fit de more.

11 Si concionandū est à Celebrante, fiat ab eo stante in cornu Euangelij, & aperto capite. Ministri ad eius dextram stabunt extra cornu Euangelij.

12 In incensione oblitorum benedicit incensum de more, & sine genuflexione.

nusflexione incensat oblata: tum genuflexus super altiore gradum, ut supra, incensat Sacramentum ut initio Missæ. Diaconus non amouet Calicem de medio, quia nullum est periculum effusionis eius.

13 Dicitur *Orate fratres à Celebre*, vbi *Dominus vobiscum*: sed non perficitur circulus, ut habetur in *Missa Fer. 6. Parasceues.* rursusque genuflectitur, quia redditur ad medium.

14 Reliqua usque ad Communio-
nem inclusiū fuit ut in alijs Missis: à
Communione ad finem Missæ fuit
genuflexiones & conuersiones ad po-
pulum, ut num. 8. & 9. dictum est.

15 In benedictione populo danda,
dicto, *Omnipotens Deus*, genuflectit
Celebrans, & in latere Euangelij be-
nedit, non perficit circulum, neque
in medio genuflectit, sed in eodem la-
tere conuersus statim ad Altare signat
librum, seu Tabellam Euangelij uer-
mi, non Altare, quamuis Sacra-
mentum esset altius Altari: est enim, ac si
esset in Altari.

16 Recedit cum Ministris ab Alta-
ri, cū genuflexione in plano Cappel-
lae utroque genu facta: vel, si facienda

est Processio, pro fine Orationis pu-
blicæ, facta prope Altare genuflexione
in medio, descendit extra cornu Epi-
stolæ, vbi, depositis Manipulis à se &
à Ministris cum Casula, induit Cele-
brans Pluuiale, & cetera facit quæ ad
Processionem spectant, de qua nos *in-*
fra par. 4. iii. 12. a num. 3. & seqq.
quibus illud hoc loco adde, incensan-
dum esse prius Sacramentum quām
deponatur de loco suo super Altare, si
imponendus est orationi finis.

17 In Missa priuata, que tamen
quām parcissimè celebranda erit in
Altari, in quo sacra Eucharistia est ex-
posita, eadem obseruari debent quæ
suprà diximus, demptis ijs quæ sunt
propria solemnis Missæ.

18 Neque illud omittatur, quod
præscriptissimus de manuum ablutione
extra Altare. Quidam sumunt ablutionem
digitorum, antequam redeant ad medium Altaris, ad maiorem erga
Sacramentum reverentiam; sed non
video irreuerentiam in sumenda purifi-
catione Calicis in medio Altaris,
ergo neque digitorum. quare placet ex
communiori usu ritus communis om-
nibus Missis.

Ordo Missæ, & partium eiusdem additio, iuxta ordinem temporum. X V.

HAec tenus ordinem torius Missæ
examinauimus, secundum quem
Missa celebratur: nunc quām breuissi-
mū videamus, quo ordine aucta sit
eadem Missa ab initio nascientis Eccle-
siæ ad hodiernum usque diem, ordine
temporum seruato; si de Liturgia
sancti Petri fortasse dubites, quam
Lindanus defendit (quō casu tota es-
set à sancto Petro) Successores au-
tem Decretis firmarunt eandem per

partes. Præterea ciudem Missæ my-
sticam expositionem ex antiquis Interpre-
tibus hauriamus, eam nimis
quæ aptius Domini nostri Iesu Christi vitam, actiones & pa-
siones ordinatè repræsentat. Postre-
mò Canonis litteralem sensum in
quibusdam verbis non ita facilem
aperiamus.

1 Ex dictis igitur, initio Ecclesiæ
Missa constabat Consecratione tan-

A a 2 tum